

NOTÆ IN SUPERIUS DECRETUM CUM SUIS RESPONSIONIBUS.

Illa appellabimus Theses :

Has vero Anti-theses.

T H E S I S (a)

EA citatio peculiari Imperatoris edicto facta est, & a Jesuitis Pekinensibus per encyclicam Epistolam ad ceteros Missionarios scriptam, denunciata.

A N T I T H E S I S (a)

Quoniam controversia erat de significatione quarundam vocum, ac rituum Sinarum; audienda omnino fuit definitio Legitimi, ac supremi Judicis, qui est Sincicus Imperator, ergo perperam Jesuitis assignitur, quod citatio ab Imperatore facta (quam utriusque per encyclicam Epistolam ad reliquos Missionarios scriptam denunciaverunt Jesuitæ Pekinenses) ordinata fuerit ad eos interrogandos de aliquibus ad sanctam Religionem nostram spectantibus; nisi forte insanire quis velit putans ad Religionem nostram spectare, quod illæ voces, aut ritus controversi, hanc aut illum fortiantur, ex humana institutione, significationem.

T H E S I S (b)

Hactenus Jesuitis visum erat, nihil in Sinenfium Philosophia contineri, quod cum Christiana Religione componi non posset. Hic jam oppositum declaratur.

A N T I T H E S I S (b)

Nullum est in Ecclesia dogma, quod libri philosophorum gentium a veritate aberrant, ergo Jesuitæ Sanctorum Patrum, & ipsorum Apostolorum exempla secuti, prudenter conati sunt doctrinam Sincicam in bonum sensum transferre, ad quem capefcendum, magno Religionis Christianæ commodo, illius religionis philosophos paulatim deducerent; Hic jam nulla urgente necessitate sine ullo fructu, jam cum periculo extirpationis Religionis Christianæ, Philosophiæ Sincicæ bellum indicitur.

T H E S I S (c)

Confusum Sinarum Philosophum, ac Progenitores defunctos, non veris sacrificiis, sed ritibus mere civilibus a Sinenfibus coli contenderant Jesuitæ, atque ita cultum illum iidem ad fidem conversis licitum fecerant; Contrarium hic statui vides: Sacrificia nimirum illa esse, ac prorsus illicita.

A N T I T H E S I S (c)

Ab intentione Sinenfium pendet, utrum illi ritus sacrificia sint, an vero civiles prorsus, ac politici; quam inutiliter Homo Europæus statuit eos ritus esse sacrificia, quos supremus Sinarum Princeps declarat civiles, ac politicos.

T H E S I S (d)

Defunctorum progenitorum Tabellas ad solam memoriam, atque ad pietatem in nepotibus excitandam, a Sinenfibus servari propugnauerunt Jesuitæ, atque adeo ritum illum, non tam superstitiosis, quam filialis pietatis esse contenderant. Et hic tamen ritus modo prohibetur, ob id certe quod multa superstitiosa contineat; Nam præter alia, Tabellas illas animarum sedes esse putant, easque illas assistere ad nepotum oblationes, & sacrificia recipienda.

A N T I T H E S I S (d)

Mentiris! Nihil tale censent aut suspicantur Christiani de illis Tabellis. Sin autem loqueris de non Christianis pendendum est rudem popululum audiri, neglecto & contempto supremo Principe cum suis Mandarinis.

T H E S I S (e)

Sineses cælum materiale, seu vim ipsam activam cæli colunt, uti primum rerum omnium principium, quod plerumque Sincicis vocabulis exprimentur Xam ti, vel Tien. Jesuitæ autem verum Deum, qui a Christianis colitur, listem ipsis nominibus nuncupabant, cælumque colendum dicitabant; ita tamen ut cæli nomine rerum omnium conditorem per figuram intelligerent; atque illud est, quod præfenti Decreto prohibetur; ne forte Sineses eundem a nobis coli Deum existiment, qui ab ipsis impie colitur.

A N T I T H E S I S (e)

Quis sane mentis vereatur, ne Sineses gentiles tale quidpiam cogitent de Christianis; postquam publicis, totoque imperio promulgatis Decretis sanxit Imperator, iis vocibus Xam ti, vel Tien significari, non cælum materiale, aut ejus quamlibet vim activam; sed rerum omnium ex nihilo conditorem.

THE-

T H E S I S (f)

Hoc ipsum Decretum est a Jesuita Martino quondam extortum, facto perperam exposito, & dissimulatis Sinenfium Ritibus, quibus Confusum & progenitores colunt: eoque ad hanc usque diem abusi sunt Jesuitæ ad Innocentii X. Decretum, quo ritus illi anno 1645. prescripti fuerant, eludendum; & ad Episcopi Cononensis, Vicarii Apoff. Fokiensis judicium deprimentum. Quare præfenti edicto cavetur, ne quid simile contingat in posterum.

A N T I T H E S I S (f)

Si forem tui similis, potiori jure extorta dicerem, olim Innocentii X. nunc Clementis XI. Decreta; sed tene tibi tuas imposturas, ac malignitates. Coram toto orbe res agitur. Qui male agit, odit lucem, intelligenti pauca.

T H E S I S (g)

Cum Decreta duo in speciem pugnantia circumferrentur; alterum quidem Innocentii X. quo Sinenfium ritus, quales a Joanne Baptista de Moralez Dominicano expositi fuerant, damnabantur; alterum Alexandri VII. quo iidem ritus, quales a Martino Jesuita multo furo obdusati fuerant, magna ex parte permittentur: nec nisi difficulter sciri Romæ posset, uter Oratorum rem ipsam, uti veritas habet, Apostolicæ Sedi exposuisset: idcirco ejusdem Legato potestas facta est, ut factum rei experimento, et maxime Decreto standum ediceret, quod integra oratoris fide niti deprehenderet. Quapropter comperta jam tandem facta a Martino expositionis falsitate, declarat, ni-

hil Alexandri Decretum Sinenfium ritibus suffragari, ut contra præfens mandatum defendi possit.

A N T I T H E S I S (g)

Vide admirandam scribendi scientiam; notum est ab Innocentio X. auditos non fuisse Jesuitas, at Alexander VII. Utramque partem audivit, ac post maturam discussionem suam protulit Decretum; Notum est, nec permiffum fuisse, postremo hoc tempore, Jesuitis, ut proferre possent in forma authentica documenta Sinenfium, quibus Imperatoris, ac Literatorum intelligentia continebatur circa voces, ac ritus controversos, ergo adempta est Jesuitis potestas, ut verum factum exponerent contra adversarios, qui saltem silentio præteribant, quæ omnino proferranda erant. Nisi forte quis stulte putet, non pertinere ad veritatem hujus facti, quænam sit Imperatoris, ac Literatorum intelligentia circa voces, ac ritus controversos; Quin etiam Patriarcæ Antiochenus conatus est prohibere, ne Sinarum Imperator mentem suam ipsi declararet, An hoc est amare sinceram facti expositionem? Quando impeditur ipsius facti declaratio.

C O N C L U S I O.

Evidens est, sententiam Jesuitarum esse magis piam, utpote quæ viam sternit faciliori propagationi Religionis Christianæ in amplissimo Imperio: ergo Patriarcha Antiochenus conitti debebat una cum Jesuitis ad procurandam illarum vocum, ac rituum innocentiam, quantum rerum ipsarum natura poterat pati, Quam vero abfuerit ab ipso conatu, res est toti jam ferme orbis notissima. Consequentiam addet sapiens Lector.